



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XXXVIII. Differentia 11. Iure Canonico donatio facta Ecclesiæ sub modo
non revocatur, licèt modus non sit adimpletus, sed agitur ad modum
implendum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA II.

Iure Canonico donatio facta Ecclesie sub modo non revocatur, licet modus non sit adimpletus, sed agitur ad modum implendum, c. Verum, de condit. appol. Secus jure civ. l. i. C. de donat. quæ sub modo, &c.

Io. Bapt. a S. Blasio, 56.

I. **M**odus generaliter est omnis quantitas adjecta dispositioni, l. Obligationum, §. Modus, ff. de action. & oblig. specialiter est moderamen dispositionis per oneris appositionem tanquam causæ finalis, ut lego tibi aureos mille, ut emas vineam, ut emas libros. Vel, est invitatio, ad quandam remunerationem, vel ad impletionem, loco ejus, quod est factum, & ideo non suspendit, sed clarificat. Nota ipsius seu character est particula *ut*, quemadmodum conditionis *si*, aut æquivalens. Subinde tamen alterum pro altero promiscuè accipitur, ita ferè *Sily. in V. Conditio, c. n. 3.*

II. Jam quod donatio Ecclesie sub modo facta non revocetur, etiam non adimpleto modo ex *c. Verum, citat.*, quod multum allegabile censetur, colligimus. *Glossa* casum ita format: Aliquis possessionem quandam Ecclesie cuidam legavit, sub conditione, id est, modo, ut aliquid fiat: Ecclesia non servabat modum in donatione appositum, unde donator revocare volebat donationem, quaeritur, an possit: Respondet *Alexander III.* non posse, nisi tali conditione, id est, tali pacto donatum sit, ut eâ cessante donatio debeat revocari: tunc e-

nim, si non fiat, quod convenit, donatio revocatur. *Et paucis interiectis.* Nota differentiam inter donationem sub conditione, & donationem sub modo. Donatio enim sub conditione facta non tenet, nisi adveniente conditione, sive eâ impletâ ff. de cond. & demonstr. l. Qui heredi. At donatio sub modo statim tenet, & non revocatur, nisi dictum sit, ut revocetur, quando servatus non est, & de tali donatione loquitur decretalis ista.

III. Quod verò jus civile attinet, lex *i. C. de donat.* omnino concedit donatori vindicationem rei, & conditionem, si non fuerit servatus modus in donatione appositus. Si tamen, quod verosimile, vocabulum *modus* non ita accipitur, ut à causâ, & conditione distinguitur, non erit discrimen inter sacrum jus & profanum. Nemo enim

etiam Theologorum ignorat, non servatâ conditione revocari donationem posse. *V. Iul.*

Clarum §. Donatio, q.

21. Less. c. 18. D.

14. Az. III. l.

4. c. 24.

XXXIX DIF.